

nem transferens: quod dudum in Calvinianis refutarunt nostrates.
 Rectius igitur *D. Kunad. in loc. nostr. §. 3.* Christus nos sibi per verbum &
 sacramenta superædificat, ut nobis de sua virtute communicet & nos
 in ipso *πεπερωμένους* Petros l. saxosos reddat 1 Pet. II. 5. primitus
 per Apostolos 1 Cor. III. 10. Eph. IV. 11. hodie per Doctores Ecclesiæ,
 1 Corinth. III. 7. Conf. præterea B. Wellerus *in Rom. p. 723. seqq.* Cl.
 Dilherrus *Eclog. Sacr. p. 81. & 90.* Flacius *Clav. Scripturæ P. l. cit. 25. B.*
 Waltherus *in Friedens. Predigt etc. ex Act. IX. 31. p. 30.*
seqq.

Με] Per Aphæresin pro *ἐμῶν*, Genitivus Pronominis i. Personæ
ἐγώ. Ponitur h. l. pro adjectivo juxta Reg. Cl. Stolbergii de Idiot. cap.
 III. Reg. 3. *Genitivi Pronominum Primitivorum, Mei, Tui, Nostri,*
Vestri usurpantur pro derivatis Possessivis & hæc vicissim pro illis; ut
πατήρ ὁ ἐμὸς, & πατήρ ἐμῶν, Pater meus. Et quamvis Pronomen
με affixa Hebræorum referat, tamen eleganter præponi solet, ut
 Matth. IX. 8. *ἵνα με ὑποτῆ σέγη εἰσέλθης* ut sub tectum meum in-
 grediaris. Sic h. l. *ὁικοδομήσω μετῆ ἐκκλησίαν*, ædificabo Ecclesiam
 meam. Vocat autem Christus Ecclesiam suam primùm ratione acqui-
 sitionis, proprio sanguine factæ Act. xx. 28. deinde respectu institutæ
 novæ & evangelicæ administrationis, qua lege Mosaicâ abrogatâ
 Joh. I. 17. Judæis Gentes conjunxit. summæque amplitudinis Eccle-
 siam suam fecit, Joh. X. 16. postremò etiam ob conciliatum novum à
 Christo nomen Act. xi. 26. cum antea Mosis discipuli dicerentur Joh.
 ix. 28. Conf. *Pasor Lex. p. 224. b.*

τῆ ἐκκλησίας] *Ecclesiam*, quæ vox nisi fallor, hîc primò in
 N. T. legitur, & natales suos Græcæ linguæ debet. Descendit n. à
 verbo *ἐκκαλέω* *evoco*: Inde vi vocis idem est quod *Cætus* ministerio
 Verbi & sacramentorum ex humanâ societate *convocatus*. Hebr. *קָהָן*
 pro quo *לXX.* habent *ἐκκλησίαν* Deut. xix. 16. Jos. xx. 35. Jud. xx. 2. &
 Hebr. *קָהָן* vertunt, *ἐκκλησιασῆν*. Inde *Ecclesiastes*: Latinis con-
 cionator. A rebus forensibus acceptus hîc terminus videtur, ut vel ex
 cap. xix. Act. v. 32. colligere licet. Quemadmodum enim præco in
 foro Atheniensi convocabat populum, sic voce præconum verbi ho-
 mines è regnò Satanae ad audiendum & amplectendum verbum divi-
 nus patefactum convocantur. Et ut *καθῆν* (i. e. opimatibus)
 tribuebatur *καθῆν*, populo verò *ἐκκλησία*: ita & Deus suam